



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

8. Nupter pro parte &c. Confirmatio Indulgentiarum Sanctissimi Rosarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

pensionis ab officio per sex menses ipso facto incurrendâ, ut eadem singulis annis infra Quadragesimale tempus, publicè coram omnibus legi faciant. Hæc autem nostra Decreta, Ordinationes, Statuta & Declarationes, quæ semper firma, valida & efficacia esse decernimus & declaramus, de subreptionis, vel obreptionis, vel alio quovis defectu, etiam intentionis Nostræ, nemo Nobis inferior sub iisdem pœnis, & excommunicatione notare audeat; Sicque in præmissis per quoscunque prædictæ Provinciæ, & Ordinis Nostri Iudices & Superiores ordinarios, & delegatos judicari & definiri debere, ac irritum, & inane ipso facto, & absque aliâ declaratione decernentes & declarantes, si secus super his à quoquam Nobis inferiori quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter, fieri vel attentari contigerit.

Apostolicum robor prædictis Decretis & Statutis adjicitur.

§. 2. Cùm autem sicut eadem expositio subjungebat, Decreta, Statuta, Ordinationes & Declarationes, aliæque præmissa bono regimini, ac reformationi & tranquillitati prædictæ Provinciæ valde utilia sint, firmiora verò existunt ea, quibus Apostolicæ Sedis accedit auctoritas; Nobis propterea dictus Franciscus Procurator, etiam nomine dictæ Provinciæ humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & infra indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur ipsum Franciscum Procuratorem specialis favore gratiæ prosequi volentes, eumque à quibuscunque excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum consilio, omnia & singula Decreta, Statuta, Ordinationes & Declarationes, ac articulos & capitula præinserta, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, etiam substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenierint, superlemus; salvâ tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

Decretis roborans.

§. 3. Decernentes ipsas præsentis Litteras semper firmas & validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscunque Iudices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata & Decretum irritans.

Derogatio contrariis.

§. 4. Non obstantibus præmissis ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non prædictorum Ordinis & Provinciæ, aliisve quibuscunque, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate alia roboratis Statutis & consuetudinibus, & privilegiis quoque, indultis & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Transumptori fides.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis,

& sigillo personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 17. Martii. 1678. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

J. G. SLUSIUS.

D. 17. Martii 1679. P. A. tertio.

Confirmatio Indulgentiarum Sanctissimi Rosarii.

VIII.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. **N**uper pro parte Dilecti Filii Antonii de Monroy Magistri Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum Nobis expositum fuit, quòd de hujus Sanctæ Sedis mandato confectum, & à Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & sacris Reliquiis præpositâ revisum, & approbatum fuit Summarium Indulgentiarum, & aliarum gratiarum spiritualium Confraternitatibus sub titulo Sanctissimi Rosarii erectis & institutis, auctoritate Apostolicâ concessatum, tenoris qui sequitur, videlicet:

Expositio Sancti-tati Suae facta.

SUMMARIUM.

Indulgentiarum & gratiarum, Confratribus & Confororibus Sanctissimi Rosarii tam in vitâ, quàm in morte concessatum.

CAPUT I.

De confirmatione & extensione Indulgentiarum Sanctissimi Rosarii.

Primò. Sciendum à multis Summis Pontificibus respectivè fuisse confirmatas Indulgentias & gratias, ab eorum Antecessoribus benignè elargitas, Confratribus & Confororibus Sanctissimi Rosarii, nimirum à Leone X. in Bullâ, quæ incipit: *Pastoris æterni*, die 6. Octobris 1520. à Clemente Septimo in Brevi, *Est temporalium*, die 8. Maii 1534. à Julio Terzio in Brevi, *Sincera devotionis*, 24. Augusti 1551. à Pio Quinto in Brevi, *Inter desiderabilia*, die 28. Junii 1569. ac in Brevi, *Consueverunt*, die 17. Septembris 1569. Deinde cum omni amplitudine confirmatas, & innovatas à Sixto Quinto in Brevi, quod incipit: *Dum ineffabilia*, 30. Januarii 1586. Denique etiam Paulus Quintus in Brevi: *Cum olim*, die 20. Septembris 1608. revocato Brevi suo revocatorio Indulgentiarum antiquarum Sanctissimi Rosarii in executionem Constitutionis Clementis Octavi incipientis: *Quæcumque*, & illud ad terminos juris reduxit, & pristino statui restituit easdem Indulgentias à Summis Pontificibus suis Prædecessoribus concessas Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii Canonice institutis, ubique locorum existentibus.

Secundò. Omnes Indulgentias specialiter, vel generaliter, aut quocumque modo uni, vel pluribus Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii, vel etiam Confratribus, & Confororibus alicujus Confraternitatis in aliquâ particulari Ecclesiâ erectæ impertitas, communes esse omnibus Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii, Confratribus, & Confororibus omnium dictarum Confraternitatum universi Orbis. Hoc indultit Gregorius XIII. in Brevi incipiente, *Pastoris æterni*, 5. Maii 1581. pro Confraternitatibus Canonice erectis. Et Sixtus V. in præfato Brevi: *Dum ineffabilia*, omnia pri-

vilegia.

vilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, concessiones, Indulgentias, etiam plenarias à Summis Pontificibus concessa, & concessas Confraternitatibus, aut Confratribus Sanctissimi Rosarii extendit & ampliat in perpetuum, ad Confraternitates erigendas illarumque Confratres, & Consores pro tempore existentes.

Tertiò. Denique quascunque Indulgentias in hoc Summario contentas, quæ concessæ sunt alicui particulari Confraternitati Sanctissimi Rosarii vigore præfatarum Litterarum Apostolicarum, communes esse cuilibet Confraternitati, & cuilibet respectivè Confratri, aut Conforori in aliquâ Confraternitate descriptis.

CAPUT II.

Indulgentia pro iis, qui ad Confraternitatem Sanctissimi Rosarii recipiuntur.

Primo. Pius Quintus in præfato Brevi, *Consueverunt*, concedit plenariam Indulgentiam omnibus, & singulis Christi fidelibus per Deputatos à Magistro Generali, vel Vicario Generali pro tempore descriptis, verè poenitentibus & confessis, qui primâ vice descripti fuerint, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in aliquâ Ecclesiâ, seu Cappellâ dictæ Confraternitatis perceperint, & unam saltem quinquagenam Rosarii recitaverint, & pro tranquillitate Sanctæ Matris Ecclesiæ oraverint: eandem elargitur illis, qui in mortis articulo constituti salutari poenitentia, & viatici Sacramentis fuerint muniti.

Secundò. Clemens Octavus in Brevi, *Salvatoris*, die 13. Januarii 1592. omnibus Christi fidelibus verè poenitentibus & confessis, atque Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento refectis, qui Rosarii Confraternitatem ingredientur erectam in Ecclesiâ Prædicatorum Oppidi Divionensis, die primo eorum ingressus, plenariam Indulgentiam elargitur.

Tertiò. Eandem pariter Indulgentiam concedit idem Pontifex in Bullâ, quæ incipit, *De salutis gregis*, die 18. Januarii 1592. pro descriptis in Confraternitate erectâ in Ecclesiâ Prædicatorum Utini.

CAPUT III.

Indulgentia pro recitantibus Rosarium diebus ordinariis.

Primo. Confratres lucentur quadraginta dies Indulgentiarum, quoties recitaverint, aut recitari fecerint tertiam partem Rosarii, uti concessit Alexander Episcopus Foroliviensis per universam Germaniam Legatus à Latere Confratribus Confraternitatis institutæ in Ecclesiâ Prædicatorum Coloniae, ut apparet in Litteris incipientibus, *Etsi gloriosos*, die 10. Martii 1476. quam concessionem confirmavit Leo X. in præfata Bullâ *Pastoris eterni*.

Secundò. Cuicunque fidei tertiam partem Rosarii recitanti elargitur Sixtus Quartus in Bullâ incipiente, *Ea quæ ex fidelium*, 12. Martii 1479. quinque annos, & quinque quadragenæ; Eandem etiam confirmat Leo X. in præfata Bullâ *Pastoris eterni*.

Tertiò. Ex concessione Innocentii Octavi in Bullâ, quæ incipit, *Splendor paterne glorie*, Romæ 27. Februarii 1488. Confratribus, & Confororibus in aliqua Confraternitate in Ordine Prædicatorum erecta conscriptis, verè poenitentibus & confessis, qui tertiam Rosarii partem recitaverint, toties quoties id egerint, sexaginta millia annorum, & totidem quadragenæ Indulgentiarum de injunctis sibi poenitentis relaxantur; In eadem Bullâ iisdem Confratribus, & Confororibus nunc & pro tempore existentibus verè poenitentibus, ac ob Beatissimæ Virginis Mariæ reverentiam Rosarium deferentibus præfatus Innocentius centum annos, & totidem quadragenæ Indulgentiarum de injunctis sibi poenitentis, misericorditer indulget. Insuper iisdem Confratribus, si nomen Jesu in fine cujuslibet Angelicæ Salutationis nominaverint, quinque an-

nos, & totidem quadragenæ similiter concedit.

Quartò. Franciscus de Claromonte titulo Sancti Stephani in Cælio Monte S. R. E. Presbyter Cardinalis Rosarii Societatem in Bitterrensi Civitate institutam, auctoritate Apostolicâ sibi concessâ, approbavit, confirmavit & ratificavit, ejusque Confratribus, & Confororibus quotiescunque per se, vel per alium Beatæ Mariæ Virginis Rosarium, quod 50. Ave Maria continet, & quinque Pater noster, continuè legerint, vel legi fecerint, centum dies Indulgentiarum largitus est, & Fratre Antonio Curone in S. Theologiâ Præfentato Rosarium idem prædicante omnibus Christi fidelibus sermonem ejus audientibus, centum dies pro quâlibet vice de injunctis poenitentis relaxavit.

Quintò Raymundus tit. S. Mariæ Novæ Cardinalis per Germaniam Sanctæ Sedis Legatus concedit Confratribus, & Confororibus Rosarii Confraternitatis Colonienfis, quoties Rosarium recitaverint, centum dies Indulgentiarum. Quod confirmavit Leo X. in præfata Bullâ *Pastoris eterni*.

Sextò. Confratribus, & Confororibus dictæ Confraternitatis Coloniae institutæ verè poenitentibus & confessis, seu confitendi propositum habentibus, qui ter in hebdomadâ Rosarium devotè recitaverint, pro quâlibet vice decem annos, & totidem quadragenæ de injunctis poenitentis relaxat Leo X. in præfata Bullâ *Pastoris eterni*.

Septimò. Adrianus Sextus in Bullâ quæ incipit, *Illius qui Dominicam gregem*, die primâ Aprilis anni 1523. omnibus Confratribus Oppidi de Victoriâ Diocesis Calaguritanæ, qui in Cappellâ Sanctissimi Rosarii, aut in quâcunque parte ipsius Ecclesiæ, ex qua Altare dictæ Cappellæ conspici possit, recitaverint singulis diebus tertiam partem Rosarii pro quâlibet die, quâ id fecerint, ut præfertur, quinquaginta annos de injunctis poenitentis pariter relaxat. Clemens autem Septimus in Bullâ incipiente, *Considerantes*, die 6. Aprilis 1524. & in alia quæ incipit, *Ineffabilia*, die 23. Martii anno 1529. concedit eandem Indulgentiam Confratribus dictæ Confraternitatis, qui extra Civitatem prædictam pexistentes in aliqua Ecclesiâ, seu Oratorio cujusvis loci, tertiam Rosarii partem devotè recitaverint.

Octavò. Clemens Septimus in Brevi, *Etsi temporalium* 8. Maij 1534. addidit duos annos Indulgentiæ Confratribus institutarum Confraternitarum pro quolibet ex tribus diebus hebdomadæ, in quo tertiam partem Rosarii recitabant, dummodò in septimanâ integrum Rosarium recitent. Cum enim ad lucrandam Indulgentiam à Sixto IV. concessam, necessarium esset uno die totum Rosarium recitare, voluit Clemens præfatus sufficere ad prædictum effectum recitare integrum Rosarium in unâ septimanâ, assignans pro diebus diem, & pro pluribus vicibus unam vicem. Et cum prædicta Bulla publicata non fuerit vivente Clemente, publicata fuit per Paulum Tertium in Brevi, quod incipit, *Rationi congruit*, die 3. Novembris 1534.

Nonò. Pius Quintus Confratribus Confraternitatum Sanctissimi Rosarii erectarum per Fratrem Ambrosium Salvio de Balneolo Ordinis Prædicatorum, quoties devotè recitaverint Rosarium reliquis anni diebus (exceptis diebus Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, & Purificationis Beatissimæ Mariæ Virginis, in quibus major acquiritur Indulgentia) concessit quadraginta dies Indulgentiarum, prout constat ex Brevi, quod incipit, *Injunctum Nobis*, die 14. Junii 1566.

Decimò. Ex ejusdem Pontificis concessione in Brevi, *Consueverunt*, 17. Septembris 1569. Confratres Confraternitatum erectarum, & per Deputatos à Magistro Generali, vel Vicario Generali pro tempore descripti, si devotè recitaverint Rosarium integrum quâlibet septimanâ lucentur Indulgentiam septem annorum, & totidem quadragenarum de poenitentis injunctis.

Undecimò. Clemens IX. denique in Brevi *Exponi Nobis*, die 22. Februarii 1668. elargitur Con-

fratribus Confraternitatum erectarum, & erigendarum in futurum in Indiis Regi Hispaniarum subiectis, integrum Rosarium recitantes omnes, & singulas Indulgentias, quibus ex Apostolica concessione fruuntur omnes Christi fideles in Regnis Hispaniæ, recitantes coronam Beatissimæ Virginis.

CAPUT IV.

Indulgentia, quas Confratres in particularibus anni diebus recitantes Rosarium lucrantur.

Primò. Alexander Episcopus Foroliviensis in Germaniâ Legatus centum dies Indulgentiæ concedit omnibus, & singulis Confratribus Confraternitatis Colonienfis dicentibus tertiam Rosarii partem in quinque festivitibus Beatissimæ, videlicet Annunciationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis & Purificationis, uti constat ex præfata Bulla Leonis X. *Pastoris aterni*.

Secundò. Innocentius VIII. anno 1484. 15. Octobris vivæ vocis oraculo concessit omnibus Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii recitantibus Rosarium per hebdomadam Indulgentiam plenariam, & omnium peccatorum remissionem, applicandam à Confessario secundum eorum arbitrium eligendo semel in vita, & semel in mortis articulo, quam Indulgentiam Leo X. in præfata Bulla *Pastoris aterni* confirmat.

Tertiò. Sixtus IV. in Bulla incipiente *Pastoris aterni*, die 29. Maji 1478. elargitur septem annos, & totidem quadragenas Confratribus Confraternitatis Colonienfis, verè poenitentibus & confessis, dictam Confraternitatem servantibus, qui integrum Rosarium recitaverint, in diebus festis Nativitatis, Annunciationis, & Assumptionis Beatissimæ Virginis, sicut refert & confirmat Leo X. in præfata Bulla *Pastoris aterni*.

Quartò. Pius V. in præfata Brevi *Injunctum Nobis*, concedit omnibus Confratribus Confraternitatum Rosarii institutarum, & instituendarum à Fratre Ambrosio Salvio de Balneolo, qui corde contriti, confessi, devotèque communicati in die, & festivitatem Annunciationis devotè Rosarium recitaverint, Indulgentiam plenariam. Diebus verò Assumptionis, Nativitatis, & Purificationis decem annos, & totidem quadragenas.

Quintò. Idem Pontifex in dicto Brevi præfatis Confratribus, quoties nomen Domini Nostri Jesu Christi, & ejusdem Beatissimæ Virginis Mariæ matris suæ, tam intrus, quam extrà dictum Rosarium piè, & devotè nominaverint, seu invocaverint, septem dies de injunctis poenitentis relaxat.

Sextò. Præterea Pius V. in Brevi quod incipit *Consueverunt*, concedit omnibus Confratribus Confraternitatum erectarum à deputatis per Magistrum Generalem, vel Vicarium Generalem pro tempore descriptis, qui in diebus Resurrectionis Domini, Annunciationis & Assumptionis Beatissimæ Virginis communicati, ut supra cap. 2. n. 2. dictum est, tertiam partem Rosarii recitaverint, decem annos, & totidem quadragenas.

Septimò. Præterea iisdem Confratribus, tertiam partem Rosarii ad minus recitantibus in reliquis diebus festis D. N. Jesu Christi, & Beatæ Mariæ Virginis, in quibus sacra Rosarii mysteria recententur septem annos, & totidem quadragenas de injunctis poenitentis relaxat.

CAPUT V.

Indulgentia quas lucrantur Confratres Sanctissimi Rosarii processionem associantes, feri solitam primâ Dominicâ ejuslibet mensis, & diebus festis Beatissimæ Virginis.

Primò. Pius V. in præfata Brevi *Consueverunt*, omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, etiam non Confratribus, qui processioni

Sanctissimi Rosarii, quæ qualibet primâ Dominicâ mensis feri consuevit, devotè interfuerint, septem annos, & septem quadragenas de injunctis poenitentis relaxat.

Secundò. Confratres processionem debitis diebus faciendam associantes, centum dies Indulgentiæ consequuntur ex concessione Gregorii XIII. Confratribus Rosarii Civitatis Papien. facta in Brevi, quod incipit *Cum sicut*, die 3. Januarii 1579. Præterea idem Gregorius in Brevi *Pastoris aterni*, die 5. Maji 1581. concessit Indulgentiam plenariam omnibus Confratribus verè poenitentibus & confessis, ac communicantibus, qui processioni primâ Dominicâ cujuslibet mensis interfuerint. Insuper Confratres, qui propter infirmitatem, aut aliud legitimum impedimentum processionibus prædictis adesse nequiverint, si confessi, & Sanctissima Communione refecti Rosarium devotè recitaverint, aliasque preces pro Sanctæ Mariæ Ecclesiæ exaltatione, hæresium extirpatione, ac pace inter Principes Christianos concilianda, & conservanda fuderint, easdem Indulgentias consequuntur, quas consequerentur, si ipsis processionibus personaliter interessent, ex concessione ejusdem Gregorii in Brevi, *Cupientes*, die 24. Decembris 1583.

Tertiò. Eandem plenariam Indulgentiam assequuntur Confratres & Consores Confraternitatum Rosarii verè poenitentes & confessi, ac Sacra Communione refecti, qui processioni primâ Dominicâ mensis peragendæ interfuerint, & pro Christianorum Principum concordia, hæresium extirpatione, & Sanctæ Mariæ Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effundunt, ex concessione Pauli V. in Brevi, quod incipit *Piorum hominum*, die 15. Aprilis 1608.

Quartò. Pius IV. eandem etiam Indulgentiam plenariam concessit Confraternitati Sanctissimi Rosarii institutæ in Ecclesia Sanctæ Mariæ super Minervam in Urbe, in Bulla incipiente *Dum præclara*, die 28. Februarii 1561. omnibus Confratribus, & Consores Sanctissimi Rosarii, verè poenitentibus & confessis, vel firmum propositum temporibus statutis confitendi habentibus, qui processionem associaverint in dicta Ecclesia feri solitam in festivitibus, & solemnitatibus gloriosæ Virginis Mariæ, videlicet Purificationis, Annunciationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, Præsentationis & Conceptionis.

Quintò. Gregorius XIII. in Brevi *Ad augendam*, 24. Octobris 1577. elargitur Indulgentiam plenariam Confratribus Confraternitatis Rosarii erectæ in Ecclesia Sancti Dominici Bononiæ, verè poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui singulis annis solemnî processioni primâ Dominicâ cujuslibet mensis in dicta Ecclesia celebrandæ interfuerint, & Cappellam Sanctissimi Rosarii devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, & unione, ac hæresium extirpatione, Sanctæque Mariæ Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint.

CAPUT VI.

Indulgentia pro Confratribus visitantibus Cappellam Sanctissimi Rosarii.

Primò. Pius IV. in præfata Bulla *Dum præclara*, concedit Indulgentiam plenariam iis, qui verè poenitentes & confessi, vel firmum propositum confitendi habentes, statutis ab Ecclesia temporibus devotè visitaverint Cappellam Sanctissimi Rosarii in Ecclesia Sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe in festis Beatissimæ Virginis, videlicet, Purificationis, Annunciationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, Conceptionis & Præsentationis à primis vespers usque ad occasum Solis dictarum festivitatum.

Secundò. Gregorius XIII. in Brevi *Ad augendam*, 12. Martii 1577. concessit plenariam Indul-

gentiam Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii institutæ in Ecclesiâ Prædicatorum Cremonæ, qui verè penitentes & confessi, nec non Sacram Communionem refecti, devotè visitaverint Capellam Rosarii primâ Dominicâ cujuslibet mensis, & omnibus festis Beatissimæ, & Gloriosissimæ Virginis, ibique pias ad Deum preces effuderint pro Christianorum Principum concordia, extirpatione hæresium, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione.

Tertiò. Idem Pontifex in Brevi, *Ad augendam*, die 24. Octobris 1577. Indulgentiam plenariam concessit cuilibet Confratri Confraternitatis Rosarii erectæ in Ecclesiâ S. Dominici Bononiæ, qui penitens & confessus, ac Sanctissimâ Communionem refectus Capellam Rosarii S. Dominici de Bononiâ in singulis festivitatis Beatissimæ Virginis devotè visitaverint, atque ut suprà oraverint.

Quartò. In alio Brevi incipiente, *Cum sicut*, 3. Januarii 1579. Idem Gregorius largitur Confratribus Confraternitatis erectæ in Ecclesiâ Prædicatorum Civitatis Papien. pro quâlibet die, quâ visitaverint Capellam, seu Altare Sanctissimi Rosarii in præfata Ecclesiâ, centum dies Indulgentiæ orando Deum, ut suprà. Insuper concedit Indulgentiam plenariam Confratribus ejusdem Confraternitatis Papiensis, qui devotè visitaverint dictum Altare seu Capellam in præfata Ecclesiâ tertiâ Dominicâ Aprilis, & primâ Octobris, à primis vespers, usque ad occasum Solis, dummodò verè penitentes & confessi, ac Sacram Communionem refecti, ut præfertur, oraverint.

Quintò. Idem Gregorius in Brevi *Exponi Nobis*, primâ Octobris 1577. concedit Indulgentiam plenariam omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, qui verè penitentes & confessi, primâ Dominicâ mensis Octobris devotè visitaverint à primis vespers usque ad occasum Solis ejusdem Dominicæ Ecclesiam Sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe, & ibi pro Principum concordia &c. pias ad Deum preces effuderint.

Sextò. Præterea idem Pontifex in Brevi *Pastoris æterni*, die 5. Maji 1581. Indulgentiam plenariam concedit omnibus Confratribus erectarum Confraternitatum Rosarii, qui verè penitentes & confessi, ac Sacratissimâ Communionem refecti, devotè visitaverint Cappellam Sanctissimi Rosarii illis diebus, quibus aliqua mysteria Rosarii celebrantur, & Processioni primæ Dominicæ cujuslibet mensis interfuerint.

Septimò. Clemens VIII. in Brevi *Salvatoris*, & *Dominici Nostri*, 13. Januarii 1592. largitur plenariam Indulgentiam Confratribus Confraternitatis Rosarii erectæ in Ecclesiâ Prædicatorum Divionis, verè penitentibus & confessis, ac Sacram Communionem refectis, qui devotè visitaverint Cappellam, seu Altare Rosarii dictæ Ecclesiæ in qualibet primâ Dominicâ mensis Octobris à primis vespers usque ad occasum Solis, ac inibi pias ad Deum preces effuderint pro Sedis Apostolicæ, & fidei Catholicæ exaltatione, & hæresium extirpatione, nec non pacis inter Princeps Christianos conservatione, aut aliâ prout unicuique suggeret devotio.

Octavò. Insuper in eodem Brevi concedit eisdem Confratribus septem annos, & totidem quadragenas Indulgentiæ, qui verè penitentes, confessi, devotè comunicati, ultrâ festum Paschatis Resurrectionis, in diebus festis Pentecostes, Assumptionis Beatissimæ Virginis, nec non Omnium Sanctorum, & Nativitatis D. N. Jesu Christi Capellam, Altare Sanctissimi Rosarii visitaverint, & Deum, ut præfertur, oraverint.

Nonò. Idem Clemens VIII. in Bullâ incipiente, *De salute gregis*, die 18. Januarii 1592. Confratribus, & Confororibus Sanctissimi Rosarii Confraternitatis erectæ in Civitate Utinensi, verè penitentibus & confessis, ac Communionem Sacram refectis, qui in festivitatem Assumptionis Beati. Virginis singulis annis devotè visitaverint Ecclesiam dictæ Confraternitatis à primis vespers usque ad occasum Solis, ibique aliquas pre-

ces effuderint pro exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, extirpatione hæresium, reductione hæreticorum, & conversione infidelium, & pro conservatione pacis, concordie & unionis inter Princeps Christianos, quoties id egerint, Indulgentiam plenariam concedit. Præterea in eadem Bullâ iisdem Confratribus, qui verè penitentes, confessi & comunicati devotè visitaverint prædictam Ecclesiam in solemnitatibus Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, & Visitationis gloriolæ Virginis Mariæ, & oraverint, ut suprà, septem annos, & septem quadragenas Indulgentiæ elargitur.

CAPUT VII.

Indulgentia, quas Confratres, & Conforores Sanctissimi Rosarii lucrantur pia opera exercentes.

Primò. Alexander Episcopus Foroliviensis Legatus Apostolicus per Germaniam concessit quadraginta dies Indulgentiæ de injunctis sibi penitentiis omnibus Confratribus Confraternitatis Rosarii erectæ Coloniae, qui Sabbatis, & festivis diebus interfuerint, dum cantatur *Salve Regina* post Completorium, coram Altari Beatissimæ Virginis, ubi prædicta Confraternitas instituta est, quam concessionem confirmavit Leo X. in præfata Bullâ *Pastoris æterni*.

Secundò. Gregorius XIII. in præfato Brevi *Cum sicut accepimus*, 3. Januarii 1576. Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii Papiæ relaxat centum dies de injunctis eis, seu quomodolibet debitis penitentiis, qui vexillum Sanctissimi Rosarii associaverint, quando corpora mortuorum Confratrum deferuntur ad sepulturam, & interfuerint Anniversariis pro animabus defunctorum Confratrum celebrandis, & ibi pro Christianorum Principum concordia &c. vel aliâ oraverint, vel infirmos Confratres ad Ecclesiastica Sacramenta sumenda hortati fuerint, & visitaverint.

Tertiò. Clemens VIII. in Brevi *Salvatoris* die 13. Januarii 1592. Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectæ in Ecclesiâ Prædicatorum Oppidi Divionensis, qui Divinis officiis per illos Confratres, seu ex eorum instituto in dictâ Cappellâ decantandis, ac Congregationibus publicis, vel secretis pro felici directione dictæ Confraternitatis habendis interfuerint, atque associaverint Sanctissimum Sacramentum dum ad aliquem infirmum deferri contigerit, ac qui legitime impediti hoc facere nequiverint, campanâ ad id signo dato, genuflexi, si poterint, Orationem Dominicam pro eodem infirmo recitaverint, nec non cujuscunque Confratris cadaver ad sepulturam Ecclesiasticam associaverint, vel eos in eorum infirmitatibus visitaverint, & consolati fuerint, ac Orationem Dominicam quinquies, & toties Anglicam Salutationem coram imagine Sanctissimi Crucifixi in honorem quinque plagarum D. N. Jesu Christi pro animabus eorundem Confratrum in Christi charitate defunctorum recitaverint, quoties aliquod præmissorum fecerint, sexaginta dies de injunctis eis, aut aliâ quomodolibet debitis penitentiis relaxat.

Quartò. Idem in Brevi *Ineffabilia Dei Genitricis*, die 12. Februarii 1598. Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectæ in Ecclesiâ Sancti Pauli Vallisolei Ordinis Prædicatorum centum dies, quoties verè penitentes, & confessi, seu à jure statutis temporibus firmum confitendi propositum habentes Antiphonæ *Salve Regina* in præfata Ecclesiâ post Completorium decantari solitæ, interfuerint; in festivitatis autem Beatissimæ Virginis, nec non Sanctorum Apostolorum, & Sanctorum dicti Ordinis, & quando ipsi Confratres, juxta Statuta dictæ Confraternitatis, cum cereis accensis adesse tenentur, eisdem Confratribus, ut præfertur interestibus, tres annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut quomodolibet debitis penitentiis relaxat. Illis autem Confratribus, qui pro solemnitate à dictâ Confraternitate celebrari solita, Dominicâ infra octavam Nativitatis Beatissimæ

Virginis, ordinandis Altaribus, vel Ecclesiae præparandæ vacaverint, aut ornamenta ad divinum cultum spectantia miserint, centum dies Indulgentiæ concedit, extendens supradictas Indulgentias ad infirmos, mulieres gravidas, & legitime impeditos, qui flexis genibus prædictam Antiphonam *Salve Regina*, coram Altari, vel Imagine Beatæ Virginis devotè recitaverint; qui autem Confratrem infirmum visitaverint, aut corpus defuncti Confratris ad dictam Ecclesiam associaverint, tres annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut aliis quomodolibet debitis pœnitentiis.

Quintò. Idem Pontifex in Bulla *De salute gregis*, die 15. Februarii anno 1592. Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectæ in Ecclesiâ Prædicatorum Utini, quoties interfuerint Divinis officiis, aut Missis, quæ celebrantur in dictâ Ecclesiâ, vel intuitu, vel ex inflituto, aut consuetudine dictæ Confraternitatis, aut hospitio pauperes peregrinos exceperint, aut elemosynis, vel officiis adjuverint, aut pacem cum inimicis composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, ac etiam corpora defunctorum tam Confratrum, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut infirmos consolati fuerint, aut processiones ordinarias, tam Confraternitatis, quam aliàs quasunque, de licentiâ Ordinarii celebrandas Sanctissimum Sacramentum tam in processionibus, quam ad infirmos, vel quovis modo delatum comitati fuerint, seu impediti per alium, vel alios associati fecerint, vel campanæ ad id signo dato, genuflexi, semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pro animabus Confratrum defunctorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, aut ignorantes præcepta Dei, & alia ad salutem necessaria docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, quoties præmissa, vel aliquod præmissorum egerint, sexaginta dies de injunctis eis, aut quomodolibet debitis pœnitentiis relaxat.

Sextò. Rursus Gregorius XIII. in Brevi *Desiderantes*, 22. Martii 1580. Confratribus Confraternitatum Sanctissimi Rosarii institutarum in Ecclesiis Fratrum Prædicatorum Provinciæ S. Jacobi novæ Hispaniæ in Indiis, & omnibus Christi fidelibus, qui verè pœniterint, confessi, ac Sacram Communionem recepti, devotè visitaverint dictas Ecclesias, diebus festis Patroni earundem respectivè, & in solemnitate Corporis Christi, Indulgentiam plenariam concedit. Insuper omnibus Confratribus, qui Sabbatis in Quadragesimâ assistent Missæ, & Concioni Beatissimæ Virginis, ac dum cantatur Antiphona *Salve Regina*, concedit unius anni Indulgentiam. Præterea quondò ex elemosynis Confraternitatis Sanctissimi Rosarii virgines matrimonio junguntur, tam ipsis, quam ipsarum maritis, & Confratribus Sanctissimi Rosarii processioni intereissentibus, quinque annos Indulgentiæ elargitur. Denique Confratribus, & Confororibus associantibus processionem, quæ fit singulis Sabbatis, aut semel in mense per Ecclesias, vel Claustrum dictarum domorum, in suffragium mortuorum, octo annos Indulgentiæ de injunctis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis relaxat.

CAPUT VIII.

Indulgentia quas consequuntur Confratres, & Conforores Sanctissimi Rosarii visitantes quinque Altaria.

LEo X. instituit, & concessit, ut quilibet Confrater Confraternitatis Sanctissimi Rosarii Canonice in quâcumque Ecclesiâ Ordinis Prædicatorum erectæ quinque Altaria visitando cujuscunque Ecclesiæ, aut unum, vel duo quinquies, si quinque defuerint, easdem Indulgentias integraliter consequatur, ac si omnes Almæ Urbis Stationes peregrinando circumiret; quam concessionem confirmat, & approbat Clemens Septimus in Brevi,

Et si temporalium, quod Paulus III. in Brevi Rationi congruit. 3. Novembris 1534. Publicavit.

CAPUT IX.

Indulgentia quas lucrantur Confratres & Conforores peccata sua confitendo, & communicando aliquibus Dominicis anni.

PRimò. Gregorius XIII. in Brevi quod incipit *Ad augendam*, pro Confraternitatibus institutis in Ecclesiis Prædicatorum Provinciæ utriusque Lombardiæ die 8. Novembris 1578. & in alio simili pro Provinciâ Romanâ anno 1579. die 29. Augusti, concedit plenariam Indulgentiam omnibus Confratribus, & Confororibus Sanctissimi Rosarii, qui verè pœniterint & confessi, ac devotè in dictis Ecclesiis primis Dominicis diebus cujuslibet mensis Sacram Communionem sumperint, ibique pro extirpatione hæresum, pro pace inter Principes Christianos, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quam Indulgentiam extendit ad Confratres infirmos, qui ad eandem Ecclesias, seu quamlibet earum accedere non valentes, præviâ confessione, & Communione domi suæ ante devotam imaginem devotè Rosarium, seu Coronam, aut septem Psalmos, qui legere sciunt, recitaverint.

Secundò. Clemens Octavus in Brevi *Ineffabilia gloriosa Virginis*, 12. Februarii 1598. Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectæ in Ecclesiâ S. Pauli Vallisoleti Ordinis Prædicatorum, qui Dominicâ infra octavam Nativitatis Beatissimæ Virginis solemniter hujusmodi festivitatem celebrare volunt, si verè pœniterint, & confessi eadem die annis singulis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum perceperint, & Altissimo preces pro universalis Ecclesiæ, & Romani Pontificis statu fuderint, plenariam suorum peccatorum Indulgentiam concedit.

Tertiò. Gregorius XIII. in Brevi, quod incipit *Desiderantes*, 22. Martii 1580. Confratribus, & Confororibus Confraternitatum jam erectarum in Ecclesiis Fratrum Prædicatorum Provinciæ S. Jacobi novæ Hispaniæ in Indiis, qui primâ Dominicâ Octobris verè pœniterint, & confessi alicui Confessario dicti Ordinis, Sacram Eucharistiam sumperint in præfatis Ecclesiis, in quibus instituta est Confraternitas Sanctissimi Rosarii, plenariam Indulgentiam elargitur.

CAPUT X.

Indulgentia quibus fruuntur Confratres, & Conforores Sanctissimi Rosarii in mortis articulo.

PRimò. Supradiximus, quòd Confratres, & Conforores Sanctissimi Rosarii respectivè, ex confessione Innocentii VIII. & Leonis X. qui per septimanam Rosarium recitaverint, consequantur semel in vitâ, & semel in morte Indulgentiam plenariam, & Pius V. in Brevi, *Consueverunt*, Indulgentiam plenariam concedit Confratribus Confraternitatum erectarum in articulo mortis constitutis, confessis, & per modum viatici Sacram Communionem receptis.

Secundò. Adrianus VI. in Bullâ *Illius, qui Dominicum gregem*, die primâ Aprilis anno 1523. Plenariam Indulgentiam concedit Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectæ in Ecclesiâ Prædicatorum Victoriæ (verè pœnitentibus, & confessis, vel firmum propositum confitendi habentibus) qui in mortis articulo in manibus tenentes cereum benedictum Confraternitatis, in honorem Virginis Mariæ ex hac luce migraverint, si ante eorum obitum Rosarium semel dumtaxat recitaverint. Quam Indulgentiam confirmavit Clemens VII. in præfata Bullâ *Ineffabilia &c.*

Tertiò. Clemens VIII. in Brevi, *Salvatoris*, 13.

Januarii 1592. Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii institutæ Divioni, qui verè poenitentes & confessi, ac Sacra Communione refecti, pium nomen Jesu corde, si ore nequiverint, in mortis articulo invocaverint, plenariam Indulgentiam elargitur.

Quartò. Et in Brevi *Ineffabilia gloriose*, 12. Februarii 1598. Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectæ in Ecclesiâ Sancti Pauli Vallisoleti, si in articulo mortis recipiendo Sanctissima Ecclesiæ Sacramenta, & Ecclesiæ Romanæ fidem profitendo, Antiphonam *Salve Regina* dixerint, & Beatæ Virginis se commendaverint Indulgentiam, plenariam concedit.

Quintò. Idem in Bullâ quæ incipit, *De salute gregis*, 18. Januarii 1592. Confratribus & Confororibus Confraternitatis Sanctissimi Rosarii Utini erectæ, verè poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui in articulo mortis Sanctissimum nomen Jesu corde, si ore nequiverint, invocaverint, vel aliquod contritionis signum dederint, Indulgentiam plenariam concedit.

Sextò. Clemens X. in Brevi, *Cælestium munerum*, 16. Februarii anni 1671. Sacerdotibus Secularibus, aut Regularibus, quibus licitum fuerit, juxta Constitutiones, & Decreta Sedis Apostolicæ celebrare Missam Sanctissimi Rosarii, eandem celebrando, sicut & omnibus Religiosis, & Sanctimonialibus, etiam Tertiæ Ordinis Prædicatorum, & omnibus Confratribus, & Confororibus cujuscunque Confraternitatis Sanctissimi Rosarii jam erectæ, aut erigendæ in futurum in quocunque loco, qui verè poenitentes, & confessi, vel firmum confitendi habentes propositum, prædictæ Missæ devotè interfuerint, ibique pro pace inter Principes Christianos, hæresium extirpatione, & exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ oraverint, quoties id egerint, impertitur omnes Indulgentias, peccatorum remissiones, & poenitentiarum relaxationes, quas Confratres, & Conforores dictæ Confraternitatis integrum Rosarium recitando ex Sedis Apostolicæ concessione assequuntur.

Septimò. Idem Pontifex in eodem Brevi omnibus & singulis prædictis, qui soliti fuerint dictam Sanctissimi Rosarii Missam celebrare, uti dictum est, aut eidem assistere, si verè poenitentes, & confessi, & communicari oraverint, sicut dictum est, concedit, ut omni mense eisdem similiter consequantur Indulgentias, peccatorum remissiones & poenitentiarum relaxationes, quas consequuntur Confratres, & Conforores dictarum Confraternitatum, assistendo processionibus Sanctissimi Rosarii quolibet primâ Dominicâ mensis.

Octavò. Præterea idem Summus Pontifex in eodem Brevi concedit, ut omnes hæ Indulgentiæ, peccatorum remissiones, & poenitentiarum relaxationes, possint per modum suffragii animabus defunctorum applicari.

CAPUT XI.

Quomodo omnes prædictæ Indulgentiæ ad infirmos, ac legitime impediens extendantur.

Præter ea quæ Capite quinto, & nono diximus, sciendum, Sixtum Quintum in præfato Brevi, *Dum ineffabilia*, Confratribus Confraternitatum tam hætenus erectarum, quàm in posterum erigendarum itinerantibus, navigantibus, & servantibus, totum Rosarium, infirmis verò, aut aliis legitime impeditis tertiam ejus partem devotè recitantibus, nec non temporibus debitis, & ab Ecclesiâ statutis confitendi, & communicandi firmum propositum habentibus, qui Cappellam Rosarii in Ecclesiâ Sanctæ Mariæ super Minervam Ordinis Prædicatorum Romæ, aut alias Ecclesias, vel Cappellas ubicunque dicta Confraternitas Canonice erecta fuerit, iis diebus, quibus festa Mysteriorum Rosarii celebrantur, visitare, & processionibus, quæ primâ Dominicâ cujuslibet mensis fieri, solet interesse non poterint, plenariam

Indulgentiam concedere & elargiri, illisque communicare omnes & singulas Indulgentias, peccatorumque remissiones, etiam plenarias, concessas, & concedendas in futurum omnibus Confratribus & Confororibus in præfatis diebus Cappellas, seu Ecclesias Rosarii visitantibus, ac dictæ processionibus interessentibus, perinde ac si iisdem diebus dictas Cappellas, seu Ecclesias personaliter visitarent, & processionibus hujusmodi interessent, advertant nihilominus Confratres, ut debita contritione muniantur.

CAPUT XII.

Indulgentiæ pro Defunctis.

Primò. Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit, *Omnium salutis*, 30. Octobris 1582. concedit Ecclesiæ Prædicatorum loci Raconfilii, ubi est Altare Sanctissimi Rosarii, quod non est Altare majus indultum Altaris privilegiati, quoties ab aliquo dictæ Domus Sacerdote dumtaxat Missa Defunctorum celebrabitur, pro anima cujuscunque fidelis defuncti Confratris Sanctissimi Rosarii:

Secundò. Clemens X. concedit omnes Indulgentias capitulo decimo, numero sexto recensitas, posse applicari per modum suffragii animabus defunctorum.

Tertiò. Præterea Innocentius XI. concessit, & indulgit in perpetuum, ut omnes, & singulæ Indulgentiæ Confratribus, & Confororibus Rosarii concessæ, possint ab iisdem per modum suffragii applicari animabus fidelium defunctorum, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint.

Forma, ut vocant Absolutionis, seu modus impertientiæ Indulgentiæ Confratribus Rosarii in articulo mortis.

Consteat. Pater Spiritus. Misereatur &c. Indulgentiam &c. Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi per suam piissimam misericordiam, recipiat confessionem tuam, & remittat tibi omnia peccata, quæcunque, & quomodocunque in toto vitæ decursu commisisti, de quibus corde contritus, & ore confessus es, restituens tibi solam primam, quam in Baptismate recepisti, & per Indulgentiam plenariam à Summo Pontifice Innocentio Octavo Confratribus Sanctissimi Rosarii in articulo mortis constitutis concessam, liberet te à præsentis, ac futuræ vitæ poenis, dignetur Purgatorii cruciatu remittere, portas inferni claudere, Paradisi januam aperire, teque ad gaudia sempiterna perducere, per sacratissima suæ vitæ, passionis & glorificationis mysteria sanctissimo Rosario comprehensa. Qui cum Patre & Spiritu Sancto Deus unus vivit & regnat in secula seculorum, Amen.

Die 11. Julii 1679. S. Congregatio Summarium hoc Indulgentiarum à se recognitum approbavit.

A. Cardinalis Homodeus.

Loco + Sigilli.

Michael Angelus Riccius S. Congregationis Indulgentiarum, Sacrarumque Reliquiarum Secretarius.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dictus Antonius Magister Generalis Summarium hujusmodi, quo firmitus subsistat, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri, & alias opportunè in præmissis à Nobis provideri, ac ut infra indulgeri, plurimum desideret, Nos ipsius Antonii Magistri Generalis voris hæc in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuscvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & poenis, à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, hæc serie absolventes, & absolutum fore censentes, suppli-

Confirmatio prædicti Summarii Apostolica.

cario.

cationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinat, præinfertur Summarium Indulgentiarum, & gratiarum spiritualium, omniaque & singula in eo contenta auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos, juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Concessio facultatis erigendi Confraternitates sub titulo Sanctissimi Rosarii.

§. 3. Præterea præfato Antonio moderno, & pro tempore existenti Magistro Generali dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum, eoque à Romana Curia absente, Vicario Generali ejusdem Ordinis itidem pro tempore existenti, Confraternitates sub titulo Sanctissimi Rosarii hujusmodi in quibusvis Mundi partibus, servata tamen Constitutione felicis Clementis PP. VIII. Prædecessoris Nostri, quæ incipit *Quacunque à Sede Apostolicâ*, &c. 7. Decembris MDCIV. editæ, ac Decretorum hujus Sanctæ Sedis, præsertim circa distantiam locorum in erectione Confraternitatum similis instituti servandam emanatorum formâ, & dispositione, erigendi & instituendi, quamcunque necessariam, & opportunitatem facultatem auctoritate & tenore præfatis tribuimus, & impertimur.

Est actus post Canoniam Confraternitatum erectionem gratiarum spiritualium participatio.

§. 4. Ac omnibus & singulis Confraternitatibus utriusque sexus Christi fidelium, sub eodem titulo Sanctissimi Rosarii ubicunque locorum hæcenus erectis, & in futurum tam in præfati Ordinis, quam in aliis quibuslibet Ecclesiis, vel Oratoriis per memoratum Magistrum Generalem, seu Vicarium Generalem, sicut præmittitur, quodocunque erigendis, illarumque Confratribus, ut statim atque Canonica ipsarum Confraternitatum erectio facta fuerit, etiam absque ullâ indulgentiarum, & gratiarum spiritualium communicatione, vel aggregatione, omnium & singularum indulgentiarum, etiam plenarum, & aliarum gratiarum spiritualium præfatarum participes sint, dictique Confratres & Consores omnes, & singulas, etiam plenarias indulgentias, & peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, cæterasque gratias spirituales in Summario præinferto contentas & expressas, servatis tamen, & adimpletis omnibus illis, quæ pro illarum consecutione respectivè præscripta sunt, consequi, illisque uti, frui & gaudere liberè & licitè possint & valeant, eadem auctoritate harum serie concedimus & indulgemus.

Decretum roborans & irritans.

§. 5. Decernentes easdem præfatas Litteras semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suisque plenarias & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodocunque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscunque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 6. Non obstantibus quatenus opus sit Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac præfata Clementis Prædecessoris, aliisque Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & Litteris Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâ in suo robore permanfuris, ad præmissorum effectum hæc vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Transumptum fides.

§. 7. Volumus autem, ut earundem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam

impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 31. Julii 1679. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

J. G. SLUSIUS.

Ordinationes quædam pro Ordine Fratrum Prædicatorum cum Cardinalis Palatii moderamine confirmantur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Cum nos aliâ de iis, quæ Ordini Fratrum Prædicatorum necessaria, atque utilia erant satis edocti, quasdam ordinationes ad Dilectum Filium Nostrium Palatium S. R. E. Presbyterum Cardinalem de Alteriis nuncupatum, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectorem transmitti mandavimus, quæ à Capitulo Generali ejusdem Ordinis novissime celebrato fieri deberent, ipsæque ordinationes die præcedenti electionem novi Magistri Generalis Ordinis præfati coram omnibus Definitoribus, de mandato & in præsentia dicti Palatii Cardinalis, & Protectoris, nomine & jussu Nostro in publico Definitorio lætæ, ibique ab omnibus ejusdem Capituli Generalis Vocalibus cum humili illarum observantiæ professione acceptatæ, & statutæ fuissent; & prostridie statim factâ electione Dilecti Filii moderni Magistri Generalis dicti Ordinis, idem novus Magister Generalis antequam in Ecclesiam ad recipiendam à Fratribus obedientiam descenderet, juxta easdem ordinationes illarum observantiam coram toto Capitulo promississet, ac promissionem hujusmodi publico juramento in manibus præfati Palatii Cardinalis Protectoris, & Capituli Præsidentis præfatis confirmasset: Recursum habuerunt ad Nos quatuor Deputati à Capitulo Generali prædicto, Nobis humiliter supplicantes, ut præjudicia, quæ toti Ordini prædicto ex observantiâ aliquarum ex dictis ordinationibus nascitura supponebant pendere, ac desuper opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

D. 31. Julii 1679. P. A. tertio.

IX.

Loquitur de ordinationibus ad Cardinalem Palatium transmissis.

Est à Capitulo acceptatis.

Earum moderatio à Deputatis expectata.

Est à Cardinali Palatii facta.

§. 2. Nos verò ejus rei cognitionem demandavimus memorato Palatio Cardinali & Protectori, qui auditis, & maturè discussis rationibus per eosdem Deputatos, tam vivâ voce, quam scripto deductis, easdem ordinationes jussu Nostro moderatus est, & redegit in formam tenoris qui sequitur, videlicet.

Ordinationes & Statuta facienda in Capitulo Generali Ordinis Prædicatorum antequam deveniatur ad electionem Magistri Generalis, à Magistro noviter electo juramento promittenda coram Capitulo Electorum, statim post electionem, antequam in Ecclesiam ad recipiendam obedientiam descendat; idemque à successoribus, in futuris electionibus præstandum. Primo statuendum est, quod observentur Constitutiones Apostolicæ, ac illæ Religionis super celebratione Capituli Generalis quolibet triennio, non autem ultra, absque licentiâ Summi Pontificis. Quodque in fine cujuslibet Capituli Generalis statuatur tempus, & locus futuri Capituli. Secundo. Est statuendum quod Generalis teneatur personaliter, & per seipsum peragere universam Europam, ac visitare Religionem ejusque Conventus, ita ut id sequatur de omnibus Conventibus, vel eorum majori parte, non autem de magis conspicuis tantum, vel in locis transitus. Quodque id agat cum eâ majori modestia, & parsimonia, quam religiosa humilitas exigit, tam circa numerum locorum, aliorumque comitum & familiarium, ut non excedatur numerus sex, vel octo, quam circa victum, aliasque expensas, ne Con-

Agunt de tempore celebrationis Capituli.

De visitandis à Generali Religionis Conventibus.